

nis, et ex gratia Verbum unitur humanitati ut suppositum, quia hoc est incarnare; ergo non bene multiplicantur isti duo effectus, et per consequens, nec ratione distinguuntur subjectum, et terminus in ista Christi prædestinatione

CXVIII. Respondetur, quod in primo effectu idem est, quod in secundo realiter, non vero ratione. Quod patet, quia Filius, qui secundum se est Filius, et in propria natura, est capax ut sit Filius in natura creata, et est capax ut sit incarnatus, vel humanatus, vel ut homo, et consequenter prius natura, vel ratione saltem debet intelligi humanatus, quam Filius in humanitate, vel Filius ut homo, quia si non intelligitur homo, nequit intelligi Filius ut homo. Stat ergo bene, quod totum opus prædestinationis hujus sit hoc mysterium, scilicet, Verbum incarnatum, seu Verbum factum homo, et homo Filius, et hoc sit idem realiter, sicut ipsa prædestinatio: nihilominus tamen per rationem intelligatur duplex effectus solum ratione distinctus cum fundamento in re, et fundamentum est, quod nequit intelligi unum sine alio, et hoc sufficit, quod intelligatur aliud prius, hoc est, si non potest intelligi Filius in humanitate, neque Filius ut homo, nisi prius sit homo, bene sequitur quod intelligatur prius fieri homo, quam quod intelligatur, quod ut homo est Filius, et sic quod reperitur distinctio rationis inter unum, et alium effectum, et consequenter inter subjectum formaliter, et terminum. Et cum ipsi auctores contrariæ sententiæ dicant sufficere distinctionem rationis, non possunt illam negare hic sic explicatam, ac per consequens male negant prædestinationem, et semper fallacia stat, quod dum inquirunt distinctionem ad verificandam prædestinationem, intendunt inveniri distine-

tionem realem, et quia illam non inveniunt, negant prædestinationem propriam.

CIX. Vel aliis terminis hoc idem explicatur in exemplis allatis. Prius intelligitur, quod albedo uniatur corpori, quam quod corpus sit album, quia licet esse album, et albedo communicata sint idem realiter, tamen non possunt ad minus non distingui tamquam causa, et effectus, et cum aliqua prioritate ratione cujus verificatur ista causalis: Quia albedo unitur corpori, corpus est album per illam. Et in forma substantiali qualis est anima rationalis, prius intelligitur uniri corpori, seu informare illud, seu incorporari, aut incarnari suo modo, (quia cum sit spiritualis fit forma corporis carnalis) quam intelligatur corpus esse vivum vita substantiali per eandem animam: sicut enim corpus esse mortuum est effectus separationis animæ, et prius intelligitur separatio quam mors, ita corpus esse vivum est effectum unionis animæ. Ita similiter, quod Filius incarnetur, vel humanetur, prius intelligitur, quam quod homo sit Filius eadem filiatione, vel ab eodem Filio, qui humanatur, vel incarnatur.

CX. Et clarius apparet in subsistentia, vel existentia quas secum adducit anima: prius intelligitur, quod uniatur materiæ, vel corpori humano, quam intelligatur homo subsistens, vel existens per illam, quia ante non erat homo, quia anima solum est pars hominis: ut ergo fiat homo, debet uniri corpori, vel materiæ, et prius intelligitur hæc unio, quam homo intelligatur subsistens, et persona completa. Quare non eodem modo fiet discursus in subsistentia divina relativa, quæ est filiatio, et Filius, quod prius intelligatur Filius, cum hac causalis: Quia Filius unitur humanitati ille homo est Filius.

CXI. Et denique, sicut quando unitur

essentia divina, ut species impressa intellectui beati priusquam constituat intellectum intellectivum in actu primo, intelligitur uniri, quare non dicitur idem in præsentia quando unitur per modum personæ, et per modum subsistentiæ, quod prius intelligatur, quod homo est illa persona, sicut prius intelligitur, quod prius unitur intellectui, quam intelligatur intellectus constitutus per illam, ut intellectivus in actu primo? Certe nulla apparet ratio disparitatis, et inconsequenter conceditur in his exemplis præcedentia aliqua, et negatur in prædestinatione, ad quam sufficit solum secundum rationem, ut ipsi concedunt.

CXII. Quod si ulterius instes: Distinctio, quæ debet assignari, et præcedentia, debet esse inter subjectum, et terminum; si autem sumatur ipse Filius, qui tenet se ex parte subjecti secundum se, nulla est distinctio a se ipso, etiam rationis, et sic non potest esse subjectum, et terminus. Si autem sumatur subjectum ipse Filius, ut est homo, ita ut includatur humanitas tamquam subjectum quo, jam est distinctio realis, et non solum rationis inter subjectum formaliter sumptum, et terminum, quia humanitas quomodocumque semper est distincta realiter a Filio in quocumque sensu, vel in quocumque effectu consideretur.

CXIII. Respondetur, quod si consideretur subjectum adæquatum, quod est suppositum humanatum, aliquid realiter distinctum includit a termino ad quem, scilicet humanitatem, quæ est subjectum quo, et ratione cujus illud suppositum ut homo, vel in quantum homo prædestinatur ad esse Filium. Quando autem ponitur solum distinctio rationis, est in eodem Filio non secundum se considerato, sed comparative ad humanitatem, hoc est, quod prius intelligitur uniri ipsi humanitati,

quam intelligatur ipse præbere suum effectum illi homini, vel quod ille homo accipiat esse Filium ab eodem Filio, qui unitus fuit humanitati, ut fieret subjectum, et ut homo esset Filius. Sicut dicitur in exemplis allatis, quod albedo eadem est, quæ unitur corpori, et facit corpus album, et sic de aliis, et non insistimus, si debet esse distinctio, et præcedentia realis, sicut ponitur in istis exemplis, si quidem ad intentum sufficit distinctio rationis, quæ est minor, et similiter inter subjectum quod, et terminum qui adæquate consideratum est solum distinctio rationis, quia in termino qui includitur subjectum, et terminus ad quem. Ex his patet solutio data articulo præcedenti ad ultimum argumentum, sufficienter explicata, et illud argumentum exacte solutum.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus sit prædestinatus ad gloriam animæ, et gratiam habitualem, et alia dona supernaturalia?

I. In hoc articulo prima sententia asserit, quod humanitas Christi fuit prædestinata ad visionem beatam, et gloriam animæ, non solum ut subjectum quo, sed etiam ut quod. Ita tenet Durandus in iii, distinct. vii, quæst. iii; Scotus etiam quæst. iii, quos sequitur Vazquez hic disput. xc, capite iv, in fine. Quorum fundamentum est, quod actiones non sunt suppositi, sed naturæ, tamquam principii quod.

II. Secunda sententia asserit, quod humanitas Christi principaliter fuit prædestinata ad gloriam animæ, quam ad unionem hypostaticam, et Christus consequenter prius prædestinatus fuit ad gloriam, quam

ad hoc ut esset Filius Dei naturalis. Ita Durandus, et Scotus locis citatis.

III. Tertia sententia affirmat, quod Christus fuit prædestinatus ad gloriam animæ, et ad alia dona supernaturalia creata; secundario tamen, seu tamquam ad terminum secundarium, primario vero ad filiationem naturalem. Hanc tenet S. Thomas locis citandis, quem sequuntur Asturicensis pagina 947; Cabrera hic artic. I, disput. II; Suarez disput. L, sect. III; Nazarius hic artic. II, controversia V, et communiter moderni Thomistæ.

IV. Dico primo: Humanitas Christi in abstracto non fuit prædestinata ad gloriam. Hæc est S. Thomæ hic artic. I ad secundum, et in III, dist. X, quæstiuncula prima ad secundum. Et ejus probatio dependet ex illo principio philosophico: Actiones sunt suppositorum, quod examinare non est hujus loci, sed supra agentes de impeccabilitate Christi quæstione XV, manet sufficienter stabilitum, maxime auctoritate Concilii Florentini dicentis: «Esse verum secundum omnem scholam philosophorum,» quod quamvis non sit definitio fidei, est tamen communis consensus Ecclesiæ Latinæ in illo Concilio congregatæ, et assumptum tamquam principium necessarium ad convincendum Armenos ratione theologica, quod Spiritus sanctus procedit a Filio, et ideo de hoc hic non est commemorandum.

V. Dico secundo: Humanitas Christi, sive Christus non fuit principaliter prædestinatus ad gloriam animæ, quam ad unionem substantialem, seu filiationem naturalem. Hanc conclusionem tenent auctores citati pro tertia sententia. Eam tenet expressa S. Thomas. Et probatur primo, ratione ex ipso desumpta quæstione præcedenti, articulo II ad tertium, et articulo III in corpore, et art. IV in corpore, et in præ-

senti, ubi inquit, quod filiatio adoptiva est quædam similitudo filiationis naturalis. Et hic articulo III in corpore utitur eadem doctrina, dicendo: «Quod prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis quantum ad bonum ad quod prædestinamur, ipse enim est prædestinatus ad hoc quod esset Filius Dei naturalis, nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis.»

VI. Ex quibus verbis sic ad hominem contra Scotum, qui tenet, quod Christus per gratiam, et gloriam est Filius Dei adoptivus, (ut disputatione præcedenti visum est) et non negat quod sit Filius naturalis ex vi unionis hypostaticæ; ergo principaliter prædestinatus fuit ad unionem, quam ad gloriam. Consequentia patet ex dictis, quia gloria pertinet ad filiationem adoptivam, et unio ad naturalem.

VII. Antecedens probatur: Filiatio adoptiva est participata similitudo filiationis naturalis; ergo si utraque ex vi ejusdem prædestinationis convenit Christo, principaliter convenit naturalis, quam adoptiva, et principaliter prædestinatio terminatur ad naturalem, quam ad adoptivam. Patet consequentia: Quotiescumque unus actus terminatur ad duos terminos, quorum unus est principalior, et alter minus principalis, principaliter terminatur ad terminum principaliorum, quam ad minus principalem, quod ex natura rei constat, quia agens juxta naturam ejusque boni intendit illud, et contra naturam esset intendere principaliter minus bonum; cum ergo filiatio adoptiva sit minus bona filiatione naturali, utpote participata similitudo ejus, sequitur, quod non est principaliter intenta a Deo, nec prædestinata, quam naturalis in ordine ad Christum.

VIII. Secundo, probatur alia etiam ratione desumpta ex S. Thoma in III, distinct. X, quæst. III, quæstiuncula II, in corpore ubi inquit: «Specifica differentia cujuslibet motus, vel operationis accipitur penes terminum ad quem; illud autem quod est prædestinatio non est unius rationis in Christo, et in nobis, quia prædestinatio Christi est ad unionem in persona; nostra autem ad unionem per operationem, aut per habitum assimilantem, et hæc duæ uniones non sunt unius rationis, sed se habent secundum prius et posterius, et perfectum et diminutum, et ideo prædestinatio Christi, et nostra non est unius rationis secundum univocationem, sed secundum analogiam.»

IX. Ex quibus verbis sic formatur ratio: Prædestinatio est principaliter secundum principalitatem termini; sed unio ad Deum in persona est principaliter, quam unio per gratiam habitualem, et gloriam; ergo prædestinatio etiam in Christo secundum quod terminatur ad unionem hypostaticam in persona, est principaliter, quam quæ terminatur ad unionem per gratiam habitualem, et gloriam. Patet consequentia, et major, nisi dicatur quod unio per gratiam est principaliter, quam unio hypostatica, quod est falsum, quia unio hypostatica est per quam constituitur Christus substantialiter, per gratiam vero unitur accidentaliter, quæ est ejusdem rationis cum aliis hominibus justis, sicut et gratia est ejusdem rationis in Christo, et in nobis. Et non est tutum in fide dicere, quod sit principaliter unio per gratiam ad Deum in puro homine, quam unio hypostatica in Christo. Et ratio est clara, quia una est substantialis, et accidentaliter alia, propter quod dixit S. Thomas, quod una est secundum perfectum, et alia secundum diminutum, et idem dixit

supra quæst. IV, art. I ad secundum dicendo: «Multo autem major, et perfectior est unio ad Deum secundum esse personale, quam quæ est secundum operationem.» Cujus ratio est, quia operari sequitur ad esse; concluditur ergo, quod prædestinatio, quæ terminatur ad unionem hypostaticam, est principaliter; ergo etiam unio principaliter prædestinata.

X. Confirmatur: Quotiescumque aliqua actio terminatur ad substantiam, et ad accidens, quantum ad primum esse substantiæ, primo, et per se terminatur ad primum esse substantiæ, quam ad ea, quæ consequuntur, ut patet in generatione, quæ primo terminatur ad essentiam, quam ad passiones. Cujus ratio est, quia passiones, seu accidentia dependent in suo esse a substantia, non solum tamquam a medio, sed tamquam a causa materiali, vel subjecto; ergo ordinate volens prius debet velle causam, quam effectum subsecutum; ergo similiter prædestinatio, prius et principaliter intendit radicem, quam passiones, vel accidentia secuta, et sic in hominibus prius prædestinatur substantia gloriæ, quam accidentia; ergo similiter in Christo, prædestinatio principaliter debet esse ad unionem hypostaticam, tamquam ad filiationem substantialem respectu gratiæ, et gloriæ animæ.

XI. Dico tertio: Christus fuit prædestinatus ad gloriam, et gratiam habitualement secundario, seu tamquam ad terminum secundarium. In hac conclusione, quoad substantiam, conveniunt Thomistæ, in modo solum loquendi differunt, scilicet, si absolute, et sine addito potest concedi, quod Christus fuit prædestinatus ad gloriam. Aliqui negant, solum quia est terminus secundarius: alii concedunt, quia sub-